

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

## 1612.

Uti frigus annum praecedentem conclusit, ita eundem hunc incoepit, quod in 8. Ianuarium usque perduravit, quo die aliquantum remisit. Witterung.

11. Ian. rusticus quidam iuvenis robustissimus nomine Düchtel propter multa commissa furta apud rusticos tandem deprehensus atque aliquamdiu in monasterio incarceratus, inde tamen vel opera diaboli vel nescio quo alio stratagemate solutus fugam meditatus est; rursus autem arctioribus vinculis constrictus demum dominio *Styrensi* traditus est, a quo iudicio morti adiudicandus erat; sed homo plusquam ridiculus, interim tamen malitiosissimus, per meras nugas eo die iudicium effugit. Pridie ante diem iudicii D. parochus eum ex paterna caritate accessit atque ad confessionem communionemque adhortatus est, cui ille inquit: „Multa quidem beneficia Tua Reverentia in me contulit, pro quibus omnibus maximas gratias ago; ceterum hac in re mecum nihil efficiet. Nam ego credo, quod credo: quid credo, credo.“ Ait rursus D. parochus: „Etiam diabolus credit.“ „Oh! quid de diabolo dicis mi Domine paroche? quem ego non feci neque etiam Tua Reverentia: cum diabolus utroque nostrum multo sit antiquior, nihil mihi negotii cum illo, quem nec cognosco.“ Hic D. parochus agnoscens illius nugas eum de cetero dereliquit et ab eo abiit. Cum ergo ipso die iudicii extra arcem ad iudicium deduceretur cerneretque magnam multitudinem hominum, qui eius visendi causa huc convenerant, miror, inquit, quid hic tanquam stulti adstetis: statim enim reducar et non iudicabor. Quod etiam factum est. Nam cum iam coram iudice et assessoribus illi sua commissa furta quarumdam rerum levium praelegerentur audacter, irrisorie tamen eosdem interrogavit, num pro talibus commissis sententiam mortis ferre audeant. Atque sic nugatorie omnia simulans ad carceres denuo reductus est brevique post Viennam ad fossam urbis missus, ubi tamen rursus elapsus est. Pro vero autem dictum est matrem suam venificam haec omnia effecisse aut impeditisse nec illum morti adiudicandum, quoad ipsa vixerit. Hactenus tamen de homine illo nihil amplius auditum est; vix credibile illum submersum aut aliqua honesta morte occubuisse. Sed nimis multa de hoc fure et impertinentia. Dichtel.

16. Ian. praefectus culinarum in Garsten „Capuciner Hansl“ dictus cum honestissima virgine *Linzensi*, haeretica tamen, nuptias habuit. Garsten.

Cum 21. Ian. D. *Iac. Vischerus*, praefectus ecclesiasticus, de die in diem peius habere coepit; unde quidam eum adhortatus est, quatenus de animae suae salute sollicitus sit, J. Vischer.